Cracoviensis Studiis Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philos.
1661. 11. Id. Octobr.

Turobolski Pauli Casim: Χαριστηριον seu Honorarium ex praecipuis Academicae gazae lapidibus elaboratum.

ΧΑΡΗΣΤΕΡΙΩΝ
SEV
HONORARIVM.
Ex præcipuis Academicæ gazæ lapidibus
ELABORATVM.

AC
NOBILIBUS VI. ADOLESCENTIBVS
Nomine Almæ Matris Academiæ Cracouienſis.
Emeritæ Virtutis & gratulationis ergò.


DVM PER
Excellentiſſimum ac Doctiſſimum Dominum,
D. IOANNEM MACHATAR
De Wiſchouiâ Morauum Phil: Doct: Colleg: Min.
Primâ in Artibus & Philoſophiâ Laureâ,
In frequentiſſimo Illuſtrium Hoſpitum confluxu
INSIGNIRENTVR.

A
PAVLO CASIMIRO TVROBOLSKI,
eiusdem Laureæ Candidato.
Lyrici Concentûs Applauſu
PRÆSENTATVM.

Anno poſt Chriſtum Natum, 1661. III. Idus Octobris.

CRACOVIÆ,
In Officina Apud Viduam Lucæ Kupiſz, S.R.M. Typ:

IN VOTVM APOLLINEVM.



Hos, decorata quibus, Phæbea Corona lapillos,
Virgo, Tuis ſupplex vult rutilare comis.
Inuidiæ nullâ poterunt rubigine lædi,
Hos texiſſe velis, ſi bonitatis ope.
Ergò quò faueas operi ô Regina Polorum,
Sint gemmæ Capiti ſitq; Corona Tuo.

LVCAS FOGLINSKI, Stud: Dialect.

AVGVSTISSIMO DITISSIMOQVE
Cæli & Terræ Diuinæ & Humanæ felicitatis
GAZOPHILACIO.
DEI PARÆ VIRGINI MARIÆ
Poëta & humillimus cliens
Debiti muneris ergò.

HONORARIVM, *quod ex pretiosis lapidibus literatæ Virtuti consecratis, compositum est, ex duplici ratione, sub Tuo patrocinio, in lucem fuit proferendum,* Beatissima MATER & Virgo MARIA. *Et primò quidem quod me Tuæ Maiestatis humile mancipium, tot indies, in horas, in momenta beneficijs obstrictum esse sentiam: qui à teneris iam inde annis, varijs & extremis iactatus periculis, semper agnitum, nunquam condigno Venerationis cultu, regratificatum expertus sum patrocinium: tum verò, quod exiguo huic opusculo, aliquot pretiosos lapides, egregijs dotibus Laureatæ Iuuentutis Academicæ, muneris ergò oblatos, nouerim esse insertos. Quos dum in publicam mittere lucem gestio ne alicubi maleuolis impetantur animis, hoc mihi cum illis faciendum esse putaui, quod seduli thesaurorum cultores, cum suis diuitijs, facere consueuerunt. Illi etenim, astutæ mortalium cupiditatis, suis semper inimicæ gazis, probè ignari, quo eas reddant tutiores, quid non faciunt, quid non moliuntur? Alij firmissimos extruunt fornices, alij profundissimos effodiunt scrobes, celsas alij, conscendunt turres, munitas arces, abdita terræ latibula, imperuias specus scrutantur alij prorsus.*

Auri sacra fames quid non mortalia cogit,
Pectora!

Cum Sichæo inter templum & altare Pygmalionis se impeti pugionibus patiuntur: cum Sardanapalo inter ignes, misera Erebo Victima concidunt: cum Didone Vastis Oceani fluctibus infelicem diuitiarum gratiâ retinendarum committunt animam. atq; adeo retinendi cupidine ardent; vt nihil intentatum, nihil imperuium relinquant. Ego vero, cùm hoc exili ingenij mei partu, pretiosos aliquot lapides, videam contineri; ex eoq; tutum aliquod ijs præsidium, requirendum esse existimem: indignum putaui, eos, non in Te, præpotentis DEI Tabernaculo, tanquam tutissimo præsidio collocare: in quo omnis Splendor & gloria Patris, & Sapientiæ diuinæ Thesaurus, feliciter requieuit, diuq; & sine labe permansit. Quæ enim esset ratio, quæ mens, quod consilium! requirentis patrocinium tuam præter mittere clientelam? quâ nihil faciliùs ad assequendum, nihil certiùs ad retinendũ, nihil tutiùs ad possidendum, probè nouimus mortales. Quid verò optabilius, quàm in Tuo conquiescere sinu, quæ æquabili animo, Dauum & Oedipum Cræsum & Irum, sub Tuum confugientes patrocinium, omnes complecteris. Quid beatiùs, quàm Te habere patronam, quæ perituris mortalibus, tempestiuum semper ades auxilium! Quid deniq; feliciùs, quàm Tibi deuouere ingenij primitias, quæ omnem doctrinæ & ingenij thesaurum, & felix ac fortunata possides, & clemens ac benigna pro Tuo arbitrio postulantibus elargiris. Felix olim dici potuit Homerus, cuius Iliadem, iudicium Alexandri Magni, in aureo Darij Scriniolo collocauit. Felix Maro in suis operibus, per se igni destinatis, per Augustum verò Romanum Imperatorem, immoutalitati reseruatis. Felices & illi, quorum Volumina, in Romanum illud peraugustum Archiuum, solenniter deferebantur: at si eorum consideremus felicitatem, qui se, cum ingenij sui fructibus, in Tuam confugientes clientelam, Tibi deuouebant; Cimmerijs persimilem tenebris & Homeri & Maronis felicitatem aduertemus. Quare pingant alij æternitati, cum Apelle: subscribant Mecænatibus cum Horatio: inscribant æternum duraturis marmoribus cùm Prasitele; mihi satis erit, si exiguum hoc ex lapidibus constructum Honorarium in Tuis deposuero manibus. Fatear quidem Regina Cœli & Terræ indignum Munus; at benignitatis Tuæ conscia mens, non sinit Me Tuam vereri Maiestatem; cuius non tam Encomiastes elogia recensere quàm Venerabundus cliens innumerabilia beneficia, Votis ac desiderijs cohonestare intendo. Non dedignaberis itaq; Benignissima Mater & Virgo dare reuerenti veniam, concedere supplicanti fauorem, tribuere clienti patrocinium, qui ad Tuos prouolutus, pedes æternùm maneo Tuæ Maiestatis.

Deuotissimus & humillimus

Cliens,

PAVLVS CASIMIRVS TVROBOLSKI
Primæ Laureæ Candidatus.

PRECIOSISSIMO NITIDISSIMOQ;
E cœleſtis gazæ gemmis & lapidibus
V N I O N I
D. IOANNI CANTIO.

Votiuum Melos.

DIue, qui noſtræ, decus & corona
Laureæ, ſemper coleris IOANNES:
Sume, quod grato, pia Muſa promit,
Pectore munus.
Non, quod auratis rutilans arenis,
Fert Tagus, gemmiſquè nitens Hydaſpes:
In Tuas, ſed quod reſoluta laudes,
Laurea mittit.
Quod repercuſſis Aquilo procellis,
Diſijcit nunquam, furibundus Auſter,
Illud haud tangit; manet inquieto
Pectore ſemper.
Indiæ gemmas, Arabumq; gazas,
Ipſe, Virtutis pretio, metalla,
Cuncta præcellis; pia gratiarum
Munera pandens.
At Tuæ, munus, ſoboli Paleſtræ,
Craciæ, deëſt par. veneratur alma
Voce, Te ſupplex; & amica ſemper,
Vota recenſet.

Vota, quæ cernis pietate gazas
Persicas vincunt: cape Sancte Doctor;
Prœmijs nostris faueas, bonoque
Fine corones.

Lechiæ Sydus, Charitumq; splendor,
Quem Parens, Patrem vocat in periclis:
Te Ducem præstes, Triuiæ cohorti,
Laurea poscit.

CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

D. EXAMINATORIBVS.

Clarissimo & Excellentissimo DOMINO

D. IACOBO BALTAZAROWIC,

Collegæ Maiori Facultatis Philosophicæ Decano.

Clarissimo & Excellentissimo DOMINO,

D. STANISLAO MAKOWSKI,

Collegæ Maiori, Canonico ad Ædes D. ANNÆ Crac.

Gemmma gratitudinis.

QVidquid vel Indus, vel quid Arabia,
Auroq; spumans Hesperius Tagus,
Gemmisq; Splendens, ditibusq;
Continet Hebrus, aquis superbus.
Quidquid recondit, Tessala purpuræ
Tellus ferax & gemmiferis opum,
Pontus sub vndis quidquid ambit,
Assyrijsq; latet sub aruis;
Vestri labores hoc sibi vendicant,
O erudita lumina Pallados,

Digniq;

Digniquè sede celsiore
Quàm Nemees domitor leonis.

BALTAZAROWIC Pieridum decus.
Stoæ MAKOWSKI Sydus amabile
Quæ Vestra virtus! qui labores?
Tespiadum sacer ordo, narret.

Victâ resedit Gorgone, Perseus,
Fessusq; Lernæ, cædibus Hercules,
Herosq; Dardanus, quievit,
Tristia Tartara, vbi revisit.

Vos semper vltra. Sic Macedo potens,
Orbis subacti grande tulit decus.
Hac arte, Polux Romulusq;
Aethereas petière sedes.

Procul sit ingens gloria Dardani.
Procul triumphus, de nece Gorgonis,
Suadæq; Tullij, procul sit,
Laurea, Aristotelisq; palma.

Aeterna Vobis Laurea nectitur,
Gemmisq; & auro gratior optimo
Fertur corona, iam puer Phryx,
Ambrosiam Iouis, administrat.

Vos multa spectat, sydere celsior
Laus, atq; merces ditior Indicis,
Gazis, Iagellonæ Palastræ
Lumina, deliciæq; Phœbi.

Ad

Ad Excellentissimum & Doctissimum Dominum,

D. JOANNEM MACHATAR,

Collegam Minorem, dignissimum & Examinatorem &

PROMOTOREM.

QVis desiderium Tespiadum chori?
Quis Te constituit Ducem?
Aut quis, Te voluit praeesse Academicis,
MACHATAR bone Laureis?
O splendens Sophicæ lux Sapientiæ?
Credo Numine prospero,
Factum vel precibus, laurea CANTII.
Supplex, hocce decus tulit.
Nunc Te conspicuum prosequitur ducem,
Votis, Pieridum cohors:
Qui mercede piâ, digna laboribus,
Pendis Munera, Laureas.
Felix ergo polos, laude Satur Tuâ,
Et Sanctas superûm domos,
Scandens enumeres aurea sæcula,
Famâ sydere celsior.

V. D. THOMÆ AYCHINGIER. Crac.

ECHITES *seu* AQVILEVS *Lapis, in nido Aquilæ collocatur, coloris purpurei: iuxta littora Oceani reperitur.* Plinius.

Lemma. Dignus Aquilæ nido.

QVi cupis magni Oceani lapillos
Nosse mirandos, niueasq; vasti

Æquoris gemmas, pretiosa cunctis
Cernere dona.

Echites, custos Aquilæ parentis
Fixus, in nido, rubeo colore
Plurimùm excedit pretio, latentes
Æquore gemmas.

Oris AYCHINGIER geniją dotes,
Scire quærenti, lapis indicabit,
Vrbe, qui Craci, genitus prehendit
Laurea serta.

Ponitur custos, Charitum coronæ
Laureæ, prolis Aquilæ, Scholarum
Principis, nidum celebri Mineruâ
Pulcher adornans.

Purpuram casto sequitur nitore
Echites; virtus sua cuiq; splendet,
Palladis succo, medicata fulget,
Omne per æuum.

Dignus, in nido Iagelonis addi,
Dignus æternâ viridiq; lauru;
Floridos curret, numeretq; semper.
Nestoris annos.

V. D. ADAMO ZVROWSKI.

ASBESTON *coloris ferri, semel accensus nunquam extinguitur.* Alb. Mag.

Lemma. Lucet perennis.

TE certè decuit, prime sodalium
ZVROWSKI lapis hic qui socius mihi,
Iunctus perpetuo fœdere vinculi.
Vitam viuis Oresteam.
Exsoluit benè par, quod copulauerat,
Votis ipse meis consocians amor;
Vt quo more dies duximus intimos,
Hoc simus Charitum in choro.

Ergò Palladijs candida fascijs,
Dum plaudenti animo, tempora porrigis,
Quâ semper nituit luce, caput Tuum,
Et nunc, lux Tibi conuenit.
Lux, ditis populi, splendida Arabiæ:
Asbeti, semel hic tactus ab igneâ
Scintillâ, rutilat tempore plurimo.
Hoc Tu munere congruo,
Splendes: conspicuâ nobilis indole,
Luces perpetuò, lumine Apollinis,
Accensus, rutilas igne scientiæ.
Almæ, cui bene iungitur,
Affectus, Lechicæ Pallados, igneus:
Quo (fidi Socij cura per optima)
Vincis Pirithoum, cedat Oresteus,
Orphêiq; in socios amor.
Ergò deliciæ Matris eris Tuæ,
Quæ, dum Te, Cathedris ponit in arduis,
Asbestum indicium, præ manibus tene.
Quod sis semper amor meus.

V.D. *ANDREÆ* *KROWICKI.*

CHELIDONIVS *Lapis nigri coloris, extrahitur ex intestinis hirundinis, ferenti conciliat facundiam.* Plinius.

Lemma. Fecunda facundia.

CVI suaue plectrum tangere Arionis,
Aut Vatis est fas, Odrijsij Lyram.
Quâ primus vndas, hic Tyrannum
Cerbereæ cicurauit aulæ.
Is eloquatur Pegaseum melos,
Plectro sonanti, vel melos Atticum,
Viris coæquet, laude dignis.
Ipse chelij, eloquioq; clarus.

Inops,

Inops, negato munere desino,
Ferre magnis æthera laudibus,
At Munus è gazâ Mineruæ,
Accipe conspicuum KROWICKI,
Fecunda dono Munera, splendido
Facundiâ: vis? en Chelidonium;
Nigro refulgentem colore,
Optima dat studij Magistra.
Hunc rupta profert aluus hirundinis;
Te nostra Pallas, viscere prodidit.
Atro calore gaudet ille;
Tu vitijs inimicus atris.
Donat ferenti dulci loquum decus,
Est & fauorem, concilians lapis;
His Te coronatum venusti,
Dotibus, aspicimus lapilli.
Coëgit almam sors Academiam,
Suadamq; flexit, cùm sibi Laureas
Deferre suasit. quêis per æuum:
Viue; diuq; vige, & perenna.

V. D. MARTINO GRADKIEWICZ.

MEMPHITES *lapis ab Vrbe Memphi mitigat dolores.* Alb. Mag.

Lem: Spes maxima laurûs.

MEmphiticum quicunq; cupis cognosse lapillum,
In Te GRADKIEWIC, eminet iste lapis.
Memphis nobilibus, splendet speciosa metallis:
Nobilior non est, Memphite, in Vrbe lapis,
Splendet & hæc laurus, multis Academica gemmis.
Ingenij gemmâ gratior vllus adest.
Grande sapit pretium, non est pretiosior illo;
GRADKIEWIC dotum qui rogo census erit!

Eximiâ hic lapis, est blandæ medicina saluti:
Est tua pectoribus, mellea suada salus.
Est & multorum domitor sine labe dolorum;
Memphiticum porta, iam premis omne malum:
Jo! cui lemma datur fato spes maxima laurûs
Fac consors Laurus, iam premat omne malum:
Et facies (si Phœbus ego) hoc mihi lemmata fantur,
Spes Iagellonicæ, & tu mera Vita Scholæ.
Nunc dum Palladijs obuallas temporâ sertis:
Accipe, quod nato, porrigit alma Parens.

V. D. ADAMO IURKIEWIC.

ISTHMOS *Lapis in partibus Hispaniæ, & iuxta Gades Herculis, reperitur; vesti impositus non permittit eam comburi; sed de igne nitere facit.* Isidorus.

Lem: Semper Virens.

NON est (crede mihi) periculosum
Extremam penetrare amando Tulen,
Incultosq; Lybes, vadumq; Iberi,
Seruari: stygiam per vndam amor fert.
IVRKIEWIC Herculeas petendo Gades,
Munus Diua Parens, tuo decori
Par scrutata tulit. Ceres amauit
Sic natam; vt stygias adiisset vndas:
Orpheus Euridicen. Amore Matris
Certè perpetuò virebis; Isthmus,
Igni qui medio, virescit almus,
Te semper nitidum virente lauru
Reddet. Te Tyrias adusq; Gades.
Attollet, speciosa famâ saclis
Quem Phœbus Tyrio notat lapillo.

V. D. JOANNI SERWACKI.

AGATHES *Est lapis niger, albas venas habet, & confert cordi Vires,* Aaron.

Lem: Recreat cor Palladis.

AGathas niger eſt, ſed nitidus lapis
Cui albens medio, vena decus dedit:
Huic vis peſtiferum pellere virus, &
Cor laſſum Herculeis reddere Viribus.
SERVACKI celebri nunc Tibi laureâ,
Offert Diua Parens, munera ſplendida
Agathen, proprium moribus optimis.
Nam fuſcus color huic, eſt humilis color:
Te Virtus decorat rara modeſtiæ.
Alba huic Vena nitet: vena ſcientiæ
Succo tincta Tuæ Palladis, albicat.
Sit Chiron medicâ corniger optimus
Arte, & Phœbigenæ munere Virbius
Viuat. Noſtra Tuis Laurea dotibus,
SERWACKI Valet, & cor recreat ſatis
Ergò iam Charitum ſcande Palatia,
Lauru conſpicuus, quam peperit Tibi
Virtus, & labor, & diua ſcientiæ.

Teſtis grati animi in pignus amicitiæ.

V. D. CASIMIRO TUROBOLSKI.

Primo Primæ Laureæ Candidato.

PER

V. D. ADAMUM ZUROWSKI.
Eiuſdem Laureæ Candidatum.
DECLARATUS.

QVid meum fruſtra calamum fatigas
Quid Tuas laudes celebrare cogis
O mei ſemper CASIMIRE magnæ
Portio cordis.
Non mihi vis hæc, decus hoc Camænis

Crede Cyrrhæis, labor, erudita
Iste deposcit Ciceronis ora
Eloquiumq́ᵹ.
Roxiæ gentis decus, atq́ᵹ Suadæ
Tullij, Stoæq́ᵹ iubar corruscum:
Flos Camænarum, & reuirentis alta
Gloriâ laurûs.
Nos Erythreis decoras Lapillis
Aureo torqui decorandus ipse:
Cui parem Ganges, nec habet lapillum,
Dona nec Indus.
Ergò quod non fert Hebrus aut Hydaspes
Pallas at præstat celebris, perennem:
Tu feres laudem Tua vincet ipsum
Fama Periclem.

E P O S

Ad V. D. CASIMIRVM TVROBOLSKI.

A

V. D. MARTINO GRADKIEWIC.

Primæ Laureæ Candidato.

Et iam vicino tangamus barbita plectro.

TAndem meorum prime sodalium
Præclara gentis dos TVROBOLSCIÆ:
Insigne Musarum, bonumque.
Delicium Charitum: secundis
Procede felix omnibus NEPOS
Nutritus almæ Palladis in sinu,
Teatra adi doctis Sophorum
Ingenij radiata factis.

Laudis

Laudis futuræ, Tu ſolitum decus.
Celſos honorum prende gradus, Tibi
Quæ fabricauit ipſa Virtus
Seclâ ferent moritura nunquam.
Fortuna fallax, quæ dubia vice
Vbiq; turbat ſingula, non minus
Conſtans; quàm inæquales procellæ
Aeolijs agitatæ ab Auſtris.
Liuore ſi fors inuideat Tibi
Nihil mereri, noxia ſentiat,
Plus dotibus mentis potitus,
Nobilior niſi vt ipſe fias.
Quantum minaci ſœuiet hæc rota
Tanto retundens fortiùs impetum,
Merces ſibi futura Virtus
Herculeo reſecabit auſu.
Capeſſe felix Symbola Laureæ,
Et vſitatas laudis adoreas,
Gemmaſq; quas nobis dicaſti
Ipſe feras radiante ſerto.

OPVLENTISSIMÆ PRETIOSISSIMÆ FERTILISSIMÆQ;
Doctrinæ & Virtutis opum in Orbe Sarmatico, METALLI-FODINÆ
ALMÆ MATRI ACADEMIÆ CRAC:
Scholarum Sarmatiæ Principi & Reginæ.

IO. Per orbem Sancta PARENS Tuis
Coruſca tangens æthera laudibus
Ibis triumphans, hydra frendens
Dum cecidit Lechicis in oris.

Perosa florens Cracidos inclyta
Nomen Mineruæ dente petiuerat
Iniurioso sed repulsa
Senserat horribilem ruinam.
Lætare Mater Climatis Arctoi
Vatum Poloni gloria Nominis:
Vertex Apollinis renidens
Castalidumq; Parens sororum.
Nam sola Doctos sola creas Viros,
Toto celebres Orbe Poloniæ,
Mentesq; reples molliori
Ambrosiâ superûmq; succo:
Quot Sancta MATER nunc Tibi Filij
Sunt cerne nati, cerne decus Tuum,
Princeps metalli quot fodina,
Eniteas pretiosa gemmis?
Opes recludis Munera splendida
Gemmas & aurum non Arabum aut Phrygum,
Sed Garge ditiora Hebroq;
Præmia das Charitum Coronæ.
Ergò per Orbem regnaq; gentium
Felix perenna: laudibus æthera,
Imple Tuosq; duc Triumphos
Nobilibus comitata factis.

Sub Felicibus Auspicijs,
Perillustris Magnifici & Admodum Reuerendi Domini,
D. M. ADAMI ROSCZEWIC
I. V. D, Et Professoris Canonici Cracouiensis Ecclesiæ S. Omnium Archidiaconi Præpositi S. NICOLAI, &c. &c.
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Studij Generalis
RECTORIS
Vigilantissimi.